Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 491
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 184. Nomenclator *latino germanicus* ordine Alphabeti, ad ipsum, ut videtur, *Mammotrectum* adcommodatus, qui incipit: Abstractum *abgeczogen, oder abgeschaiden oder gefriget.* Accio *wurchunde chrafft in der materi.* Accidens *Zuval oder ein geschicht oder aines wesen schein* &c. et finit: Zima *vrhab oder saubertaig.* Zonolarius *gürtler*, multaque *Glossario* opportuna continet.

III. *fol.* 200. *Antonii de Rampigollis, Rampegolis, Rampelogis, Ampigollis Januensis* O. E. S. A. qui in confinio Sec. XIV. et XV. scripsit, *Figurae Biblicae* hoc titulo: *Incipit Liber figurarum.* Praefamen: *Religiosis viris in christo dilectis neapolitani conuentus heremitarum sancti Augustini frater Anthonius salutem in domino. Dilectioni vestre postulata conferens* &c. Exemplar mancum, primos tantum titulos: *Abstinentia, Accidia, Adulatio, Amicicia, Angeli, Apostoli, Ascensio, Auaricia*, complexum, quodque distinguendum est ab *aureo Bibliorum reportorio*, licet et huic tam in edit. antiquissima *s. l.* et *a. f.* quam in *Creusneriana Norimb.* 1481. f. idem, quod mirum, praefixus sit *Prologus*, ac ipsis *Figuris* nostris. Idem dic de edit. *Ulmensi* per *Joh. Zeiner* 1475. f. quae *Reportorium* illud *Aurea Biblia* appellat. De Fatis et editionibus ipsarum *Figurarum* vide post *Dominic. Gandolphum de Scriptt. August.* p. 69. *Ossingeri Biblioth. August.* p. 732. qui tamen Editionem *Colon.* 1505. 8. quae mihi objacet, ignoravit. Ceterum falsus est *Mansius* in addit. ad *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. L.* I. p. 130. eas cum *Bibliis aureis* idem opus putando. Neque meminit earum *Fabricius.*

IV. *fol.* 212. Tractatus, cui minio inscriptum: *Nota hic de Heresi Waldensium.* Initium: *Cum dormirent homines venit inimicus eius et superseminauit Zisania in medio tritici. Sic scribitur Math. XIII°. Licet dominus et saluator noster dominus ihesus christus per inimicum hominis* &c. Nactus erat *Jac. Gretserus* bina olim Tractatus hujus Exemplaria ἀδέσποτα manu scripta et jam prelo subdere coeperat *Ingolstadii* 1612. cum illi tertium e Monasterio *Tegernseensi* adferretur insignitum nomine Autoris *Petri de Pilichdorf* theologiae Professoris, *Coloniensis*, ut addit *Jöcherus* in *Lex.* sed quem in *Harzhemii Bibl. Colon.* frustra quaeras. Aetatem illius una cum Operis titulo eruimus ex eo, quod ad calcem memorati Exemplaris legitur: *Expliciunt obuiationes sacrae Scripturae erroribus Waldensium Anno Domini MCCCCXLIV.* et reapse singulae *Waldensium* opiniones singulis Bibliorum effatis impugnantur. Ex *Gretseri* editione Tractatus cooptatus est in *Bibliothecae PP. Lugdun.* T. XXV. ubi a p. 277. decurrit. Extat quoque in *Gretseri Opp. omn.* T. XII. P. 2. Lectionem *Cod.* nostri subinde ab editis differre, non est, quod moneam.

V.